AB
153377

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-454455-p0001-5

1562

C. e. 40

Script. lat. recent. in Quarto
~~2. N. 25~~
~~II~~ 2. c. 25

# GVOLFI CYCLOPY CYCNAEI ARCIVM ET MEdicinarum Doctoris. illuſtriſſimi principis & domini: domini Heinrichi Otonidis: Brunſuigy & Luneburgy ducis: phyſiuj. Chriſtiani Tyrociny: progymnaſmata. in proceſſu ſpecialibus inſignita titulis.

✠

Ad arma epigramma eiuſdem

Hęc meruere duces claris virtutibus arma:
Luneburgenſis Brunſuigięq; domus:
Induperatores: quę tot: regniq; monarchas.
Troiani: ex aluo fudit; ad inſtar equi.



## AD LECTOREM

Omnia que rectę ſunt conducencia vitę;
Invenies iſto; lector amice; libro.

AD ILLVſtriſſimum : Principem & dominum : dominum Franciſcū : heinrichi Otonodis filium : Brunſuigy & Luneburgy ducem. Guolfi Cyclopy Cycnei : Arcium & medicinarum doctoris &c. : Epigrāma.

Spe meliore noui : noua munera mittimus : anni,
Alter vt alterius penſet amoris opus.
Serica dat quidam precioſi ſtamina panni.
Dat quidam auriferi munera fulua tagi.
Dat quidam vitreo naſcentes ęquore gemmas
Datq; alys alius quas quis habebit opes.
Attamen hęc ſolidum non atteſtantur amorem :
Dum careat ſtabili res peritura pede.
Carmina ſed tribuo tempus manſura perenne !
Quę ſolidum ſolidi pignus amoris habent
Diſſona ſectarum non hic aſſertio pugnat.
Non litem hic aliquam lana caprina fouet
Hic horrenda ſilent falſorum ſtupra deorum.
Nec quicq; hic mendax fabula iuris habet
Vera ſed aſſeritur perſanctę inſtructio vitę :
Ante hominem vt fias iuſtus & ante deum.
Hanc cape : macte animo : pręclare atq; inclyte priceps :
Luneburgenſe Brunſuigiumq; decus.
Per mare nauifragum : ſecunda vt nauiget aura :
Hoc xenium genio dedo dicoq; tuo.
Sit licet exiguum : nec tanto principe dignum :
Stemmate regali Cęſareoq; ſato.
Aſt ingens animus multo eſt maiora daturus :
Si tibi quę dictat : noſtra minerua : placet

# GVOLFI CYCLOPY CYGNAEI ARCIVM & medicinarum doctoris &c Ad Frãciſcũ pybium budiſſinum : priuignum ſuum : Saluberrima Chriſtianę inſtitucionis Epiſtola

Eſſe meam natam ſana cum coniuge ſanam,
Atq; dei ſanum munere noſce patrem.
Si mens ipſa foret tibi ſano in corpore ſana;
Crede quidem nobis gratius eſſe nihil.
Sana tui perages ſani ſi iuſſa magiſtri;
Tota anima & toto corpore ſanus eris.
Dogmata noſtra tuę ſpero nec obeſſe ſaluti;
Si grata exhibitum mente placebit opus
Ex animo toto. cunctiſq; ex viribus. atq;
Tota anima & toto dilige corde deum
Dilige conſortem. ſicut te diligis ipſum;
Iuſſum in quo ſūmi perficis ōne dei.
Non racione lucri. grauis aut formidine pęnę;
Illius impoſitum fer ſed amore iugum.
Hic eſt verus amor qui non defraudat amantem.
Pergraue dilecti qui leue reddit onus
Difficile factu reputat nihil. omnia ſuffert.
Nec ſua ſincerus cōmoda querit amor.
Omne ſed exoritur de falſo crimen amore:
Quo ſua non Chriſti munia curat homo

a ii

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-454455-p0005-7
DFG

Plaſma creatori ſtolide preponit amando :

Rebus in incertis ſpemq; fidemq; locat .

¶ Non ſis ingratus percepti muneris vnq; :

Magnis debetur gratia magna datis .

Omnia redde deo: bona qui dedit omnia gratis .

Debet vt authori fictile quodq; ſuo .

¶ Non aſcribe tuis . ſi ſint bona viribus acta

Cum mala ſint hominis : ſed bona cūcta dei .

Mellea cera velut non eſt niſi dura ſuapte .

Nec niſi feruenti tacta calore fluit

Nil q; ſponte malum ſic vilis homuncio tractat .

Nec niſi diuino ſole calente bonum

Condicione ſub hac ſi te diſcuſſeris ipſum ;

Non perages contra facta proterua deum .

Hec eſt pauperies humilem que ad ſydera tollit

Diuicys tumidus que nec adire poteſt .

Iuſte age nec metuas hominem qui detrahat vllum ;

Cum tibi ſint teſtes cor tuū & ipſe deus .

Eſt nichil occultum celeſtia regna gerenti :

Omnia ſunt oculis nuda & aperta ſuis .

¶ Altera ne manu um lapidem gerat altera panem .

Sitq; tuis verbis attica iuncta fides .

Odit iniqua deus verax mendacia lingue :

Vnguis ad extremum vindicat omne malum

Ad tempus maneat q̃uis graue crimen inultum
Iuſta nec obſcenum pęna ſequatur opus
Sed vindicta dei lento procedere greſſu;
Atq3 moram pęnis ęquiparare ſolet
Ledit eo grauius. quo plus extenditur arcus.
Qui ruit ex alto plus ferit ima lapis.
Ergo inſtar charę toto conamine prolis;
Cuncta gubernantem nocte dieq3 time
Hinc o̅nis virtus: tota hinc ſapientia manat
Sincerę pnblicans relligionis opes.
¶ More ſed humano quoties te decipit error.
Sollicitante pio: mox recepiſſe: deo
Victus enim non eſt iterum qui ſurgit in hoſtem.
Mnſca cibum repetens bella nouanda monet.
¶ Vt canis ad vomitum noli ad peccata redire.
Febre equidem prima plus recidiua nocet;
¶ Vt peſtem fugias hominis conſorcia praui.
Nam nigra pix nunq3 tangitur abſq3 nota
Ex vua infecta liuorem contrahit vua;
Ex oue morboſa tota fit ęgra pecus.
¶ Sis placidus cunctis lepidoq3 affabilis ore.
Non cunctis animi crede tacenda tui.
¶ Non dodonęo ſimilem te redde lebeti:
Multiloquus falſi crimine raro vacat

¶ Sepe auſcultandum moneo . ſed raro loquendum.
Cum tibi ſint aures : lingua ſed vna : duę

¶ Si fortuna graui te ſollicitudine vexat .
Diſce tuum alterius vincere ſorte malum

¶ Cuncta moleſta pati crucifixi ob nomen Ieſu :
Nec niſi de culpis diſce dolere tuis

Ęquo animo tolerans varię vaga munera ſortis
Contentus ſtudeas viuere ſorte tua .

¶ Nec grauis actarum tibi ſit contactio rerum :
Quas deus aut racio non reparare valet

Virtutes reliquas : longe paciencia vincit .
Eſt homini vtilius qua dominãte nihil

¶ Noli aſinum fului corio veſtire leonis :
Infra pelliculam diſce manere tuam

¶ Te metire tuo pede . ſit tua quanta facultas :
Plura nec abſumas cenſibus era tuis

Ganeo multiuorax menſa deglutit in vna :
Partito fruitur dum gula parca cibo

¶ Noli aliena tuis preferre negocia rebus .
Quę te non ardent illa abolere caue

¶ Ad lucra diuino conceſſum munere tempus .
Non patere elabi fructibus abſqꝫ bonis

Ardua diminuit ſpes lętę geſta coronę :
Immenſam releuant dona futura viam

Ad mercaturam ſtudiorum exiſſe bonorum:
Turpe eſſet vacuum merce redire domum
¶ More viatoris mundanas vade per artes.
Inſtar Dulichy phyltra nociua caue
Eſt nimium fallax huius ſapiencia mundi:
Que coram ſummo ſtulta & iniqua deo eſt
¶ Dum cubitum graderis cum veſtibus exue curas
Feſſaq; nocturna: membra: quiete foue
Ipſa dies operi nox eſt donata quieti:
Que labor exhauſit ſanet vt illa quies:
¶ Exoraturus ſacras dum pergis ad edes:
Intende aſſidua mente quid ore petas.
Res monſtrata notas: opus omne intentio format.
Brutum anima viuit: mēte homo: mēſq; deo,
His ſi priuentur: nihil eſt quo cetera proſint.
Lumina ſicut non apta uidere diem.
Res niſi monſtratas intentio querat in aſtris:
Dente iuuat multas nil moluiſſe preces.
Corpus in anguſta nihil eſt concludere cella:
Omnia ſi toto mens terit orbe loca.
Si mens obſcena ſcelerum pinguedine ſordet
Nil iuuat imminui membra caduca fame
Nil iuuat exili corpus ſtrinxiſſe cuculla.
Sollicita ſi mens ambicione tumet.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-454455-p0009-3
DFG

Vulneris illati ſi te vindicta laceſſit.
Nil diſciplinę ferre flagella iuuat.
Vitam age conformem ſine crimine iam morituro
Victuroqꝫ bona condicione diu
Diuicias omnes recti mens conſcia vincit:
Horrida que gelidę non timet ora necis.
¶ Apta tuę quę ſit ſi ignoras regula vitę:
Iuſti hominis vitam formet imago tuam
Sicut in oceanum quę te via ducat euntem
Quęſitam monſtrant rauca fluenta plagā
Sed nihil eſt homini tam ſanctum tamqꝫ probatum:
In quo nil vicy nil ſceleriſqꝫ foret.
Fonte ſed ex viuo fluuiorum purior vnda eſt:
Sępe luto alueoli contaminatur aqua.
Nil ſunt pontificum: nil ſunt veſtigia regum.
Vęri humiles Chriſti non comitata pedes
Aptius exemplum non eſt niſi Chriſtus Ięſus:
Quod regat ōne tuū ſicut amuſſis opus.
Dęficit in quo nil: in quo quicqꝫ nec habundat:
Vnde quid indigitum vita beata petat
Hunc imitare tuis ſtudys nocteſqꝫ dieſqꝫ:
Eius ad effigiem pectora finge tua.
Hec ſcala: iſte aditus: ſtellati hec ianua templi.
Hęc eſt celeſtis ſęmita recta vię.

Hāc qui non graditur ſcelerum per deuia migrat.
Ambulat hāc extra nemo ſalutis iter
Hoc aditu Chriſti qui non intrabit ouile:
Perfidus eſt neq; fur ſimul atq; latro.
Hūc lapidem reprobans glaciē ſup extruit edem:
Hac non fulta baſi machina queq; ruet:
In Chriſti verbo quecumq; patraueris acta.
Omnia iuſtificat intemerata fides.
Crede dei verbis: vmbram docet ethnicus omnis
Nec cito ſectarum ſōnia queq; proba
Tempus erit quando ſimulabit hypocrita nullus.
Quando cucullatus nec phariſeus erit
Cum celo & terra tranſibit gloria mundi
Verborum Chriſti non cadet vllus apex:
His in preceptis: ſūmi franciſce tonantis
Et noſtri moneo te meminiſſe vale:

## IN INICIANDIS OPERIBVS AD diuinum Paracletum deprecacio

O cōmune dei flamen patriſq; satiq;:
Ad noſtros actus Tu paraclete veni.
Conſolatorem te mentibus ingere noſtris,
Accende ardenti: frigida corda: face
Arida celeſti fecundans pectora nymbo:
Virtutum in nobis ſemina iacta foue.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-454455-p0011-1

Diuino illuſtra tenebroſam lumine mentem :

Erranti rectam da ( precor ) ire viam .

## PENITISSIMA HVMANE FRAGILitatis rememoracio . cum vera ſui ipſius abnegacione totaq3 in Ieſū Chriſtū fiducia

✠

Eſto mihi clemens Soter pie noſter Ieſu .

Sperne nec a ſcelerum me releuare luto .

Sponte mea cecidi . non ſponte reſurgere poſſum .

Erectus nequeo ſtare meapte diu .

Me qualem eſſe iubes : talem eſſe nec vlla facultas .

Velle tuum contra ſentio velle meum .

Heu mea culpa grauis : nimium grauis heu mea culpa :

Qua te noſco metum ſollicitaſſe deum .

Deliqui . & culpam nullo comitante peregi :

Criminis alterius cauſa comeſq3 fui :

Me nimis allexit fallacis gloria mundi :

Senſibus indulſi frena ſoluta nimis .

Mendacis ſathanę nimium ſum iuſſa ſequutus :

Precepti ( fateor ) non meminiſſe tui :

Cor nimis immundum radix fuit oris iniqui :

Eſt opus ( heu ) quoduis nō ſine ſorde meū .

Sed tam ſincerum totus nil continet orbis :

Contactum quod non tabe lutoqꝫ foret.

Tu potes immūdis rebus preſtare decorem.

Tu mentis tenebras irradiare potes

Tu lux illa nitens hominem que illuminat omnem :

Qui mundi fragiles fletibus intrat opes.

Noſtraqꝫ tu mitis : qui crimina baiulat agnus.

Premia diſtribuens qui ſua noſtra facit.

In trabe ſuſpenſus Tu ſerpens eneus ille.

Qui fugat a leſis aſpidis ore necem.

Tu deus es noſter. Te corde atqꝫ ore fatemur.

Omnis & in te ſtat : ſpes amor atqꝫ fides.

Ergo expers fundi. venie clementis abyſſus :

Obrue diuine me pietatis aqua.

In me peccandi rapidos extingue furores :

Et pectus marcens ariditate : riga.

Fac reſipiſcentem : me quem reſipiſcere mādas.

Que mihi deficiunt dote refunde tua.

Atqꝫ mihi illuſtra celeſti lumine mentem :

Ut tua cognoſcens iuſſa patrare queam.

### AD SVMMVM OMNIVM rerum patrem deprecacio

O deus ardentis rex & moderator olympi :

Omnis in hoc mundo fons & origo boni.

Reddere qui valeo nunq̄ȝ : quas debeo grates :
Que tibi dem patri dona deoqȝ meo :
Abſqȝ omni merito bona qui mihi tanta dediſti :
Vix a te fragilis quanta rogaſſet homo.
Fortunā taceo : bona corporis innuat alter :
Aſt animi dotes haud numerare queo :
Cor mihi non timidum : ſed letum & forte dediſti :
Fortune : tolerans munera fluxa : vage.
Doctrine cupidam plantaſti in pectore mentem.
Quā propter reliquę deſpiciuntur opes.
Quod magis eſt cunctis : me ſepe a ſorde leuaſti.
Te ſepe expertus ſum pietate patrem :
Que peragenda mones ? grati que munera poſcis ?
Cum mihi nil aliud : ſuſcipe velle bonum.

## AD SVMMAM ET INDIVIDVAM Trinitatem deprecacio

Te patrem ingenitum : Te prolem de patre natum.
Miſſū ab utroqȝ meum : te colo pneuma : deū
Perſona in triplici vere qui crederis vnus.
Atqȝ indiuiſa ſimplicitate deus.
Qui ſolo nutu celum terramqȝ creaſti :
Cuius fundata eſt equoris vnda manu.
Quē contemplari nequeunt ſatis agmina celi
Cuius in aſpectu vita beata ſita eſt.

Miliciꝫ noſtrꝫ qui ſola atq; vnica merces
Crꝫderis. & cui par eſt bonitate nihil.
Tu mihi principium: Tu conſumataq; finis.
In te omnem poſui ſpemq; fidemq; meam.
In te cuncta mei ſtant fundamenta laboris;
Expectata diu Tu mihi ſola quies.
Quis dubitat? pietas tua q non omnibus aſtet:
In te qui ſolidam conſtituere fidem.
Ergo mihi de te nutet fiducia nunq;
Donec in hoc mihi ſit corpore vita comes;

## ADVERSVS OMNIA: CORPORIS ET animꝫ: incōmenda. non inefficax ad Chriſtum Iꝫſum dꝫprecacio

Chriſte dei viui chariſſima & vnica proles:
Propter nos homines qui crucifixus eras:
Te peto: te rogito: te cunctis viribus oro:
Per tua quꝫ paſſa eſt vulnera ſancta caro.
Si tua prꝫſertim ſit gloria: lauſq; decuſq;
Siq; animꝫ fuerit vita ſaluſq; meꝫ
Da tolerare ꝫqua fortunꝫ flamina mente.
Vt non dꝫficiam luxuriemve nimis
Ne pannoſa nimis victus me cogat egeſtas;
Ne ſors me extrꝫma condicione premat.

Scandala ne patiar: ne me tentacio vincat.
Corporis atq; animę pelle pericla meę.
Da mortale nephas cunctis vitare diebus;
Cuncta voluntatis iuſſa ſubire tuę.
Da me cęleſti penitus flagrare ſub igne:
Omnis ut illicitus da moriatur amor.
Ne mors pręueniat fragilem ſubitanea vitam:
Iuſtorum ſancta da mihi morte mori.
Noli me miſerum dę libro extinguere vitę.
Iuſte damnandum tu pietate bea.
Sacramentorum mihi da virtutibus vti.
In quibus arripiam naufragus ipſe trabē.
Integra da totum facinus confeſſio prodat.
Da culpę veniam ſpemq; fidemq; bonam.
Non permitte animam ſtygias ſentire fauillas:
Nec ſub ueſtibulo dira flagella pati.
Hic corpus lacera: iuſtis hic affice pęnis:
Crimina tormentis ſi quā pianda vides.
Mors tua dampna mei ſceleris precioſa rependat.
Quę ſcelus ob noſtrum ſatq; ſuperq; fuit.
Et miſeram poſt hanc vitam concęde perennem.
Optato intuitu lęticiaq; frui.

## AD POTENTISSIMVM humani generis reparatorē Chriſtum Ieſum Salutacio

✝

Humani generis pie Chriſte redemptor Ieſu :
Fundi expers veniȩ fons & abyſſus Aue .
In celo & terra fiat tua ſola voluntas :
Nomen & omne tuum ſanctificetur opus .

## AD INTEMERATISSIMAM deiparam & virginē mariam ſalutacio

✝

O virgo Maria Chriſti pia mater Ieſu :
Dulcis in exhauſtȩ fons pietatis Aue
In ſtadio mortis ſtygio ne vincar ab hoſte
Protege me famulum virgo parenſq̧ tuum

## SVB PANIS SACRAMENto Corporis Chriſti Salutacio

✝

Panis in effigie venerandum corpus Ieſu .
Quod tulerat Mariȩ virginis aluus Aue .
In cruce pro nobis maduit quod ſanguine & vnda :
Sis mihi in extremo mortis agone cibus .

## SVB VINI SACRAMEMTO preciosiſſimi ſaguinis Ieſu Chriſti ſalutacio

✠

Sub vini ſpecie veriſſime ſaguis Ieſu :
Poſt ſacra quem libat verba miniſter Aue
In cruce qui lacero fluxiſti e corpore Chriſti :
Crimina mancipy dilue cuncta tui .

## ANTE DOMINICI CORPORIS Ieſu Chriſti communionem

✠

Sum domine in dignus mea limina quattenus intres :
Suſcipiantq; meum ſcrdida membra deum :
At ſcio q; nemo ( quin iſta viatica ſumat )
Ambroſea tecum mandere lance queat .
Me dignare ideo iugis miſerator Ieſu :
Iſta mihi proſit corporis eſca tui :

## POST CORPORIS CHRISTI ſuſcepcionem graciarum actio

✠

Has ago quas valeo : ſed non quas debeo grates .
Corpore viuaci me ſaciaſſe tuo .
Sint in digna licet mens & cor muneris huius .
Tale meum nec erat quod meruiſſet opus :

Defectum meriti tua paſſio ſuppleat omnem:
Vnica ſitq; anime ſpeſq; ſaluſq; mee.

## AD CHRISTIPARAM VIRGINEM MARIAM deprececio

✠

Integra virgo manens: que Chriſti mater Ieſu
Crederis. & ſummi ſponſa ſororq; dei:
Effice (nanq; potes) nobis ne ſit nocumento:
Hoc ſacramentum. ſed ſine fine ſalus.

## BENEDICTIO VICTVS IN MENSA

Hec alimenta omnem preſſura famemq; ſitimq;
A trino atq; vno ſint benedicta deo.

## GRACIARVM ACTIO POST REFECTIONEM

Preſenti victu nos cuius gracia pauit:
Sit trino atq; vno gloria ſumma deo.

## POST EXPERGISCENCIAM diluculi: ad Chriſtū Ieſum ſui cōmendaticia deprecacio

✠

Immenſas refero grates defenſor Ieſu:
Nocte mihi hac nocuit mors ꝙ iniqua nihil.
Da (rogo) greſſuro per mille pericula mundi:
Hunc (duce te) peragam ſordibus abſ diē

## ANTE INICIVM SOMNI AD eundem conſimilis deprecatio

✠

Sit laus ſumma tibi clemens & mitis Ieſu:
Luce ꝙ hac dederas ad mea lucra frui.
Hac (rogo) nocte ligat mollis dum lumina ſōnus:
Mortali in culpa me nec obire ſinas.

## DISTICHON EIVSDEM AD LECTOREM

Scita parum proſunt: hęc progymnaſmata, lector:
Si non aſſiduo pręmediteris opus.

FINIT

## REMBERTI SIGMARI BRVNSVIGY: ARCIVM ET PHILOSOPHIAE DOCTORIS OGDOASTICHON IN PROGYMNASMATA GVOLFI CYCLOPY CYCNAEI:

✠

Abſit vt hunc ſtudeam verſu exornare libellum:
Nam ſatis atqꝫ ſuper ſufficit ipſe ſibi.
Hoc ſaltem admoneo: rectam vis ducere vitam?
Pectore ſub memori quę tibi dictat habe.
Eſt breuis: at mira tamen vtilitate refertus
Excellit grandes ſub breuitate libros:
Quicquid enim multis paſſim ſacra pagina mādat:
Diuina & quicquid lex iubet (ecce) tenet.

## EIVSDEM REM: SIG: BRVN: CARMEN quo ſuos gentiles Exemplo florentis Germanię terſiores ad literas exhortatur.

✠

Nunc rapidus Tibris Rhenum influit ecce bicornem
Germanus latium flumen & ipſe bibit.
Nunc quid non ſperas (precor) o ſtudioſa Iuuentus?
Nam tibi Muſarum limina ſacra patent.

En modo Theutonicis Phoebus ſua preſtitit arma
Iuſſit & hos reſona concrepitare cheli :
Nempe velut rigidis germania floruit armis
Virtutum cultrix ſemper & ipſa fuit .
Sic quoqꝫ Cecropię ſplendet modo Pallados arte
Et viget Auricomi dotibus aucta dei
Clara quidem paſſim cultorum nomina vatum
Et varia claros : cernis in arte viros.
Gaude igitur pręclara parens germania gaude
Digna quod illuſtri pignora matre paris .
Sed poterint docti te nunc celebrare poęte
Tantum opus exilis noſtra Minerua fugit .
Hic rogo gentiles quę nos ignauia cœpit ?
Anne vel a priſcis degenerare pudet ?
Pollebant nitidis noſtri virtutibus olim
Maiores . veterum quod monumenta probāt
Quippe vbi lauriferum non obtinuere triumphum
Hic vel grande rati ſuccubuiſſe nephas .
Brunſuigyqꝫ ducum : decus & generoſa propago .
Germano Imperio gloria prima fuit .
Si tamen hic vellem patrum deſcribere laudes
Creſceret in longum res mihi cœpta librum
Fœcit item inſigni deus & nos robore claros
Inſuper & nobis maſcula corda dedit .

Ergo eciam ſtudys animicq; excellere dote
Aut alys ſaltem ; nos decet eſſe pares .
Ingenium nobis nec enim natura negauit
Forte ſed hic ſolum cura laborq; deeſt .
Sedula frugiferos cultura repaſtinat agros
Et facit ingenium ſedula cura bonum .
Nec tam difficile eſt loca ſacra inuiſere Muſis
Sed (fateor) montes & iuga ſumma tenent .
Monſtrat iter nobis doctorum candidus ordo
Florida librorum copia monſtrat iter .
Hic quoq; Cycneus preclaram porrigit anſam
Qui ſacro afflatum numine pectus habet
Aduena Brunſuigios Muſas quia ducit in agros
Anne vel hoc moueat ſaxea corda precor ?
Dicite gentiles quin expergiſcimur ergo ?
Natura an nobis cornea fibra dedit ? data eſt.
Quin ſemel incipimus terſas adamare Camenas ?
Vſq; adeone placet ſordida barbaries ?
Tentemus vires ſi non ſuperare licebit
Laus erit extremum non tenuiſſe locum .

FINIS

## IDEM REM: SIG: BRVN: AD GVOLFVM CYCLOPIVM CYCNAEVM

Guolfe licet dulci prȩuincas carmine cycnos
Cycnȩi merito nomen & ipſe feras
Vix tamen hic Muſis condigna merebere iura
Non ſinet hȩc illis inuida barbaries,
Gallus Alexander toto proſcriptus ab orbe
Summus enim noſtra preſes in vrbe ſedet :
At cito ( ni fallor ) nigrum trudetur ad orcum
Tumq; locus Muſis hic mage gratus erit

## IDEM AD EVNDEM

Guolfe tenes niueo niueam ſub pectore famam
Cognomen cycni ſic tibi iure tenes
Clara tenes clari merito cognomina cycni
Nam lepido lepidum fundis ab ore melos.

## IN HOC OPVSCVLO ERRATORVM INDEX

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| a | i | i | iiii | adonſtar | adinſtar |
| a | i | ii | x | piguis | pignus |
| a | ii | i | xvii | ſnlfert | ſuffert |
| a | iii | i | i | inultuuı | inultum |
| Folio a | iii latere | i carmīe | x ꝓ | pnblicans lege | publicans |
| a | iii | i | xii | recepiſſe | reſipiſce |
| a | iii | i | xiiii | mnſca | muſca |
| a | iiii | ii | xiii | vino | viuo |
| b | iiii | ii | xiii | in digna | indigna |

## CYCLOPIVS

Preſſit Ioannis hunc Dorni cura libellum :
Brunſuigy clara ciuis in vrbe probi
In decimonono : ſeſqui cum milibus : anno
Virginei partus ; ad chatedramq; petri.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-454455-p0026-4

153377

AB 153377

ULB Halle 3
002 403 617

56.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-454455-p0027-9



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-454455-p0028-5

# GVOLFI CYCLOPY CYGNAEI ARCIVM ET MEdicinarum Doctoris. illuſtriſſimi principis & domini: domini Heinrichi Otonidis: Brunſuigy & Luneburgy ducis: phyſiuj. Chriſtiani Tyrociny: progymnaſmata. in proceſſu ſpecialibus inſignita titulis.

✠

Ad arma epigramma eiuſdem

Hęc meruere duces claris virtutibus arma:
Luneburgenſis Brunſuigięq; domus:
Induperatores: quę tot: regniq; monarchas.
Troiani: ex aluo fudit; adīſtar equi.



AD LECTOREM

Omnia que rectę ſunt conducencia vitę;
Invenies iſto; lector amice; libro.